



**Jacobi Alvarez de Paz Opera**

De Exterminatione Mali, Et Promotioне boni - Libri quinque

**Álvarez de Paz, Jacobo**

**Lvgdvni, 1613**

Secundus gradus obedientiæ, votum subiectionis nuncupatum implere.  
Cap. 6.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77843](#)

Ipsa enim ait: Diligo ego Dominum Deum meum, diligo religiosam vitam, quam in sponsam accepi, diligo filios, merita scilicet ex tam pulchra sposa suscepitos. Malo in perpetuum seruos Christi esse, quam liber facili. Qui ita locutus fuerit, praelatus est offendens, & auris eius perforanda, & quasi aperienda, ut per obedientiam maiori praecepta suscipiat. Adeo namque conditioni serui adiuncta est seruendi & obediendi obligatio, ut qui hanc non habuerit, seruus esse non posset. Quia obligatio ad opus procedes, nos sanctos facies, & ad eum finem quem querimus, scilicet, ad vitam innocentiam, perducet. In cuius signum post restitutam propteritatem sancto Iob [venerunt ad eum amici eius, & obtulerunt ei singuli ouem vnam, & inaurem auream vnam.] In qua accipe innocentiam, in aitate obedientiam. Quid itaque erit viro isti ouem, & inaurem offere, nisi obedientiam, & innocentiam soteres esse, patescere? Ita quod esse mysterium huius loci Gregorius auctorat, qui & optimè exponit, quare inauris auria sit, & quare vna ouis tantum & vna inauris ab unoquoque, amicorum offeratur. Eius verba sunt. Notandum verò est, quod hoc loco cum inauris ouis, cum oue inauris offeratur: qui nimur innouis mentibus ornamentum semper obedientiae jungitur, Domino telante, qui ait: Oves meæ vocē meam audiunt, & ego agnolco eas, & sequuntur me.] Beato igitur Iob nemo inaurem sine oue, nemo oue sine inaurem obtulit: Quia profecto redemptori suo non obedit, qui innocens non est, & innocens esse non potest qui obedit contemnit. Quia verò ipsa obedientia non seruili meru, sed charitatis affectu seruanda est, non terrore penitentia, sed amore iustitia, cuncti qui ad coniunctionem veniunt, auream inaurem obtulisse perhibentur, ut videlicet in ea quæ exhibetur obedientia, charitas fulget, quæ virtutes omnes quasi auri amore cætera metallia transcendat. Sed quia nulla esse innocentia, nulla esse vera obedientia in multiplicibus hereticorum divisionibus potest, ad cognitionem fidei venientes offerant ouem, sed vnam, id est tales veniant, qui in vnitate Sanctæ Ecclesiæ innoici, obedientesq; persistat. Vnum quippe diuidi per numeros non potest: quia hoc ipsum vnum quod dicimus, numerus non est. Offerant igitur ouem, sed vnam; offerant inaurem, sed vnam; id est, ad sanctam Ecclesiam cum innocentia atque obedientia venientes, eam menti deferant, quia Sectarum schismata non dividunt. ] Hæc ille, cuius doctrina in hoc quod de Ecclesia vnitate dicit, ad nostrum propositum contrahit potest. Ut nempe vniuersitas haec inauris & ouis ad congregationis vniōnem referatur. Obedientia quippe non tantum innocentia coniungit, verum & ex ea vniuersitas sine concordia congregationis exoritur. Hanc obedientiam quasi perficimus cum ei votum obediendi praelatis adiungimus. Tuncque usurpamus nobis vocem capituli nostri, si ad patrem loquentis: [sacrificium & oblationem noluisti, aures autem perficisti mihi.] Cùm igitur iniquam, cuperem, o Domine pro immensi beneficio tuis in gratiarum actionem tibi gratas oblationes offerre; cùmque viderem sacrificia & oblationes piorum operum non satis sufficere, tibi decreui me ipsum offerre, & per obedientiam votum, aures fossas, apertas, & purgatas immolare, ut semper vocem tuam audiam, & quæcumque per prælatos infferis, sine illa contradictione perficiam. Ab hoc igitur gradu obedientia religiosa incipit, quia nimurum hominem religiosum constitutus, ut voto quis propriam voluntatem prælato subiciat, seque

A lipsum totum propter Deum alteri regendum & gubernandum tradat.

*Secundus Gradus Obedientiae, Votum subiectionis nuncupatum implere.*

C A P V T VI.

**E**X hoc primo obedientiae gradu, qui religiosi nomen indignè non habet, ad secundum ascendit, ut scilicet si votum obedientiae emisit, votum impletat, & in rebus libi præceptis obediat. Is sine dubio aliquem prælatum habet, & quisquis ille sit, siue nobilitate præcius, siue ignorabilitate sordidus; siue ignatus, aut scientiarum adoptione conspicuus, ins habet multa subditis præcipiendi; & in his quæ potest ipse mandare, debet subditus ut votum implete, & hunc gradum obedientiae habeat, humilietur obediens. Quod si quis non obedit, præterim in re graui, iugum sibi à Deo impositum frangit, & contra id quod debet, iuris suæ contendit. Cùm Samuel subiente Domino vnxisset Saulem in regem, [dixerunt filii Belial: Num saluare nos poterit iste? & despicerunt eum.] Sic non sunt religiosi merito & vita, sed filii Diaboli, qui prælatum rite electum non audiunt, & illi patere contemnunt. Ille eos salvare poterat, & salutibus præceptis instruere, & in cælum dirigere. Quia verò illi non subiiciunt, in his ad quæ tenebantur, salutem, si in malo perseuerauerint, nequam consequentur.

Horum meritam poemam Salomon pulchra circumlocutione describit. Oculum, ait, qui sublans patrem, & qui despiciat patrum matris sue, subfodiant eum corui de torrentibus, & comedant eum filii aquilæ. ] Quisnam sublannat patrem suum? Qui turgidus superbia non obedit prælato suo? & quis despiciat patrum, id est laboré in pariendo sine patrunitatem matris sue? Qui ut sue voluntati satisfaciat, non obediendo, disciplinam religiosam subuertit. Hic dignus est quin crucem agatu, immo qui in eterna supplicia definetur, ubi demones peccati nigredine coruus, & rapacitate aquilis similes, oculos eius effodiunt, ut solem iustitia non videant, & omnia eius bona carnis similia disperant. An non fur, si rei magni valoris surripiat, legibus ita statuenteribus, in cruce agitur, siue furca suspensus? Sed fur est, & rei magni valoris, scilicet voluntatis Deo consecrata usurpator, qui prælates non obedit. Idéoque Bonaventura ait: Te prælato dedisti propter Dominum, & propter regnum eorum, & iam non es tuus, sed eius, cui te vendidisti, & ideo nihil tibi licet agere de te sine eius voluntate. Ipse enim est Dominus voluntatis tuae, & contratio rei alienæ inuito domino, furtum est, fur autem celo non appropiat. ] Omnibus fidelibus præcipitur ut maioribus obediant: & Petrus, ait: Serui subditi estote in omni timore domini non tantum bonis & modestis, sed etiā dyscolis. ] Si verò illi paternam subeunt, si ab obedientia se separant, quâmo maiori pena erunt digni religiosi, qui non tantum communia obligatione, sed etiam speciali voto obediens tenentur? Præcepit Saul ne quis aliquid gustaret vñque ad vesperam quousque vñcisceretur de inimicis suis, & præcepit insipienter, ut Iosephus, & Theodoreetus putant, & septuaginta

Greg. 10.  
27.

Prover.  
30.17.

Bonaues.  
rrati, de  
interiori  
homine.  
2.

1. Petri. 2.  
18.

1. Iosephi. li.  
antiquit.  
Theodore.  
31. m. 1.  
Reg.

Lob. 42. iii.

Greg. 31.  
mor. cap.  
104.

León. 10.

Psal. 39.  
7.

*1. Reg. 14  
44.*  
*D. Thom.  
2.2. q. 186  
ar. 9.  
D. Bon.  
44. q. 2.*

satis insinuant. At vniuersus populus simpliciter & reverenter obediuit: solus Ionathas præceptum fre-  
git, & periculum mortis incurrit. Audiuitq; a patre:  
Hoc faciat mihi Deus, & hac addat, quia morte  
mortis Ionatha: ] & mortem quidem subiicit, nisi  
cum populus obediens liberaliter. Sic nō semel com-  
munitib; fidelibus obedientibus, filius id est religio-  
sus, sua regula præcepta transgreditur, & propriea-  
tis ab obedientibus liberetur, dum ad sui ipso-  
rum imitationem trahitur, mortis pena mulctatur.  
Hic itaque secundus gradus obedientia nō est  
supererogationis, sed necessitatis, a quo in re gravi  
deficere non est aliud quam damnationem prome-  
teri. Sed iam quid nos oporeat facere, ut votum  
obedientia implamus; explicandum est. Quod  
breuiter Thomas Aquinas & Bonaventura explicar-  
unt, coramque sententia sic colligenda est. Voto  
obedientia tenemur ad præcepta regulæ, ad ea scilicet,  
que nobis nō tantum ut cœilia, vel ut recte vi-  
uendi documenta, sed ut expressa mandata propo-  
nuntur. Hęc sere sunt in omnibus religiosis familiis,  
ne quid proprium habeamus, ne aliquid contra ca-  
stitatem admittamus, ne præceptum aliquod Dei  
aut Ecclesiæ transgrediamur, & siquid aliud pro religi-  
onis diuinitate sub intermissione peccati, grauis  
iniungitur. In quibus à regula deuiare, ex genere gra-  
uius peccatum est, nisi aut materia leuitas aut subre-  
ptio ab enormitate peccati grauius excusat.

Obligat etiam obedientia votū illud ex equi, quod  
prælatus iuxta regulā, seu institutū, non tantum con-  
suluerit aut suauiterit, sed manifestè præcepit, & ad  
executionem eius obligare voluerit. Si enim aliquid  
tantum suadeat, si consulat, si moneat, & obligare nō  
intendat, sceluso scandalio non erit peccatum non obe-  
dire, licet imperfectio sit, nisi causa non leuis momenti  
subsit, eius monita detegatur. Cum enim in prælato  
sit authoritas præcipienda, que regula mandato iniugi  
voluerit, & in subdito sit obligatio parendi, nō est  
vnde hic non obediens peccato se liberet, si ille in  
veritate præcipiat. Et id significant illa verba Deuteronomij: Qui superbient, nolēs obediere sacerdotis  
imperio, qui eo tempore ministrat domino Deo tuo,  
& decreto iudicis, morietur homo ille, & auferes  
malum de Israele.

*Bern. de  
præcep. &  
dispen. e.  
144.*

Si vero illud quod subdito iniungitur leue sit,  
parique momenti, & tamen non solum suadeatur,  
aut ordinetur, sed verè præcipiat, votum obedie-  
tiae obligat ad illud exequendum, si non sub peccato  
graui, ut sub peccato veniali. Quoniam si superioris  
præceptū instet, non facere quod iniungitur, inobe-  
dientia est. inobedientia vero à peccato faltē leui ex-  
cusari nō potest. Non autem erit graue peccatum, quia  
materię circa quā delinquitur, paruita peccati grau-  
itate tollit. Quā rem latē & sapiēter Bernardus pro-  
sequitur, & inter alia sic ait: Quamobrem nō video  
cur ita omnem inobedientiam & transgressionē, vel  
minorum quorūlibet mandatorum, exaggerandā  
putaueritis, ut exclamatetis: Quod ergo iam mona-  
cho poterit veniale peccatum esse, vel leue,  
cuius vniuersa actioni crimen insidiatur inobedien-  
tiae? Sed hoc inde videlicet constare creditis, quod  
prælatorum iussionib; tantum tribuendum assertur,  
quantum si diuinitus tradentur. Quasi vero &  
ipsa Euangelica præcepta nō multū inter se disre-  
pent, & merito observationis, & transgressionis pericu-  
lo. Ceterū sicut nō omnia vnius esse cōstat, vel  
necessitatis, vel utilitatis, vel dignitatis, sic nō vna de  
omnium transgressione fertur sententia; nec paria  
manent discrimina dispares culpas. Potro nec parti  
cula negliguntur, quae non pati cura præcipiuntur,

A | nec pari proinde pena puniuntur. Ecce enim Euāge-  
lium, tā flagitiū crapulæ, quā fornicationis tur-  
pitudinem damnat. Verū quis magis non horreat  
ex duob; malis, turpitudine feedari, quā cibo  
extaurari? Nonne denique veritas in Euāgeliō sub  
nominib; trabis, & festuc; grates leuē que differ-  
nit in obedientiae culpas? Nonne ipso disputante,  
immo definiente, gradatim nobis distinguitur, quæ  
cuique reatu poena debeatur, dum alium iudicio,  
alium confitio, alium & gehenna reum esse prote-  
statur? Quānam ergo consequendi necessitas cogit,  
vel si magistris diuina detur in suis præceptis autho-  
ritas, nullum ideo iam monacho leue, aut veniale  
peccatum inueniri posse putetur: & quod eius  
vniuersa actioni crimen insidiatur inobedientia? ]  
& post multa; Traduntur igitur à prælatis inter-  
dum minora mandata, quorum transgresio leuio-  
ra secundum regulam patit & peccata, & tamen in  
Deum nihilominus præuaricatio fit, quoties Abba-  
tis iussio præteritur. Siquidem ex ore ipso Dei non  
æqualia sunt promulgata, & ideo non æquali cun-  
cta vigilancia obseruanda; sed alia cura exhibenda  
est ei proculdubio quod ipse prohibet primum &  
maximum mandatum, alia his quæ alibi discernens:  
Qui soluerit, inquit, vnum de his minimis meis  
mandatis. ] Quid ergo audiuimus ex regula gra-  
uiores & leuiores culpas, legimus & in Euāgeliō  
maxima minimaque mandata: & mādatorum trans-  
gressiones vniuersas dicemus æqualiter maximas?  
Non est igitur necesse ut concedam quod dicitur,  
aut Deo scilicet non tribui omne quod ab homine  
magistro accipitur, quod non sit contra Deum, aut  
monacho nullum inueniri posse leue, seu veniale  
peccatum: quia eti; toties Deo (quod fatendum  
est) inobediens esse coniunctur, quoties eius qui  
pro Deo sibi præest, hominis mandatum, quod quidem  
iustitia non repugnat, prætegrreditur: sicut tam-  
en non pati cura in executione exigitur: sic nec  
par culpa contrahitur ex transgressione. Etsi quippe  
vnuis est qui offenditur, non tamen vnuis ponderis  
quæ iubentur, nec vnuis subiide discriminis iusso-  
rum est omnium censenda transgresio. Haecenus  
Bernardus. ] Sed quando hæc leua nō præcipiuntur,  
non erit peccatum illa ex aliqua causa omittere,  
si contemptus desit, & nullum scandalum aut offen-  
sio statuum sequatur.

Insuper obligat obedientia votum ne quis  
aut regulæ, aut superiorum mandatis ex contem-  
pitu contraveniat. Debet enim qui obedientia votum  
emisit, vivere secundum præscripta regulæ, &  
maiorum instituta, superiorumque mandata, in  
quo manifestè continetur tamquam initium alio-  
rum: huiusmodi instituta & mandata non aspernari.  
Ille autem ex contemptu regulam aut præcep-  
tum violat, qui non ex ignorantia, aut ex negli-  
gentia, aut ex infirmitate & immoderantia paſſio-  
nis, sed ex malitia iniuncta sibi transgreditur. Aut  
ille qui eo fine regulam aut præceptum violat, ut  
ostendat se a nihili facere.

Iste autem contemptus in re graui semper  
grauiſsum peccatum est. In se autem leui si  
non contemnatur regula, nec prælatus ipse, aut  
potestas eius, sed aut ineruditio, & morositas  
prælati, aut certè materia ipsa præcepta, quia leuis  
est, forte non erit graue peccatum. At la-  
tis infelix erit ille religiosus, & ab omni de-  
siderio perfectionis alienus, qui hæc audeat, &  
vel minima sibi iniuncta contemnat. Certè Ber-  
nardus contemptum à graui peccati malitia num-  
quam liberat. Sic enim scribit: Hęc ergo generalis

*Matth. 5.  
6.*

regula sit variusorum que per se, aut propter se, nec bona, nec mala sunt, aut diuina institutione, aut propria cuiusque professione fixa non sunt, ut non iussa quidem licet, ut libet, vel admittatur, vel omittatur; iussa vero, sine culpa non negligantur, sine criminie non contemnuntur. Vbique enim & culpabilis neglectus, & contemptus damnabilis est. Differunt autem quod neglectus quidem languor inertie est, contemptus vero superbia tumor. Porro contemptus in omni specie mandatorum paripondere grauis, & communiter damnable est: neglectus autem in fixis grauior, tolerabilius in mobilibus mandatis. Hac ille. ] Authoritas autem tantum doctoris satis est ut omnis contemptus etiam in minimis evitetur. &, si timorata conscientia non est, qui leue peccatum ex certa scientia aut malitia committit, quanto minus ille erit, qui audet illud facere, quod etiam in re minima multi doctores non minimum, sed graue putarunt?

Si prelatus absque causa aliquid praecepit aut contra regulam, aut supra regulam, aut infra regulam & institutum, votum obediens ad parentum non obligat. Hinc etiam Bernardus ait: Prelatus iussio vel prohibitus non prætereat terminos professionis, nec ultra extendi potest, nec contrahi citra. Nihil me prelatus prohibeat horum quae promitti, nec plus exigat quam promisi. Vota mea nec augeat sine mea voluntate, nec minutat sine certa necessitate. & quidem cum prelatus, sit custos disciplinae, non potest subditus precepto cogere, ut eam deserat: & cum subditus se voto constringeret ad obedientiam secundum regulam, non potest mandato compelli, ut aliquid supra regulam reddat. Id autem intelligitur sine iusta, nam si iusta & recta ratione confona causa subsit, potest prelatus dispensando rigorem instituti lenire, & subditus debet relaxationem admittere. Potest etiam anteriora quam regula habeat, mandare, sive in paenam criminis, sive ut medium ad seruandam vota vel ad vincendam graue tentationem, sive pro communis Ecclesiae aut congregacionis necessitate, & subditus similiter tenetur obediere. Cum autem dixerimus religiosum teneri ad obedientiam præceptis que sunt secundum regulam vel institutum, scendum est, hinc secundum varia instituta diversam obediendi obligationem exoriri. Nam cum constitutio societatis nostræ habeat, ut obediamus in omnibus, ubi manifestè peccatum non cerneretur, obligatio obediendi in nobis ad omnia se extendit, quæ superior voluerit præcipere, modo peccata non sint. In aliis autem religionibus obligatio parenti ea continebit, quæ regula disponuerit. Quæ si dixerit, ut omnes obediant in his quæ sunt secundum regulam, ac nihil aliud poterunt religiosi obligari. Cum etiam dixerimus, causam iustum intercedere debere, ut superior, siquid infra aut supra regulam, possit præcipere, intelligendum est, in dubio an causa sit iusta, superiori fauendum esse, cum possideat mandandi potestatem, & subditus se abdicauerit per votum propria voluntate. Nisi aliquod graue danum in persona, rebus, vel honore ei cui præceptum imponitur, vel alteri timeatur: sicut enim fauendum est subdito, nisi de iusta causa præcepti manifestè constiterit. Similiter si dubium esset de potestate prelati, an scienceret eò usque se extendat ut possit haec vel illa præcipere, subditus donec vincatur hoc dubium, non tenetur mandatis parere.

At si prelatus iuberet peccatum manifestum fieri, nullo modo obediendum est ei. Nihil enim potest ipse præcipere iuste contra præcepta Dei vel Ecclesiae, unde nec licet illi in illicitis obtemperare. Vn-

A de Gregorius ait: Sciendum verò est, quod nunquam per obedientiam malum fieri, aliquando verò debet per obedientiam bonum, quod agitur, intermitte. Neque enim mala in paradiso arbor extitit, quam Dominus homini ne contingere, interdixit. sed ut melius per obedientiam meritum homo bene conditus creceret, dignum fuerat, ut etiam à bono prohiberetur: quantenus tanto verius hoc, quod ageret, virtus esset, quanto & à bono cessans auctor suo se subditum humilius exhiberet. ] Licet ergo hoc præceptum prelati bona non mandata à Deo, vel Ecclesia possent omitti, ut malum nulla ratione debet fieri. Atque adeo hic secundus obedientiae gradus id postulat, ut præceptis superiorum nostrorum obediamus, & nihil eorum, quæ mandata sunt, sive magna sive minora, prætereamus. At hec obedientia, quæ exterius mandata implet, si nihil aliud habeat, valde imperfecta est. Quam ut imperfectam reiicit Paulus, dicens: Obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculum seruientes quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis. ] Cùm enim simplicem obedientiam illi, quæ ad oculum est, opponat, aperte hanc, quæ præsentiam prelati intueretur, & solum opus exterius præstat, imperfectam existimat. Quare Anselmus eundem locum expônens, ait: Non in duplicitate seruite dominis, sed ita ut quod foris in opere ostenditur, intus in corde habeatis, timentes dominum, qui inspectus est cordium, & dominator dolosarum cogitationum. ] Talis obedientia quæ exterius quidem præcepta implet, interius vero repugnat, & animo contradicit, est obedientia tritemum & remigantium, in eis quos aliquando vidi exterius quidem celerimè iussa exequi, verbis tamen & corde gubernatori maledicere. Hos imitantur qui exterius obediunt, & interius mente obedientia contradicunt. Vnde ultra procedendum est ei, qui per iter obedientiae ad perfectionem venire fletinat.

Tertius Gradus Obedientiae, quæque in iuncta, etiam absque præcepto exequi.

## CAPUT VII

**S**ANCtarum religionum prelati nec præcipiunt, nec possunt, nec debet strixè præcipere omnia quæ a subditis sunt, sed multa sine præcepto iniungunt, & facienda aut omittenda præscribunt, quæ præterire, modo alias peccata non sint, peccatum non erit, modo scandalum fratrum, & contemptus rei iniunctæ aut prelati iniungentis desit. Quod non omnia præcipiant, ipse vult (ut credo) omnium familiarium religionum ostendit. Quod verò nec præcipere possint nec debeant, inde patet, quod religiosa vita onus esset importabile, si omnia tum minora tum maiora stricto præcepto iniungerentur, ab ea suauitas & securitas tolleretur, & tam innumeris præceptis laqueus conscientiis religiosorum institeretur. Hec ergo ita a superioribus ordinantur, aut præscribuntur, ut ea facere obedientia magni meriti sit, ea autem sine contemptu omittere talis sit inobedientia (sicut vocari potest) quæ quia contra præceptum non est, non culpam sed paenam inferat. Ad hæc autem implenda etiam obedientia virtus & perfectio se exten-

Bern. 6.c.

3.p. conf. c.1. n.23

Greg. 3.5.  
mor. c.10.Coffen.  
3.22.Anselm.  
ibid.